MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-11

AUTHOR:

HUMPERT, PHILIPP

TITLE:

DE CIVITATE HOMERICA

PLACE:

BONNAE

DATE:

1839

Master Negative #
91-80397-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Humpert, Philipp, 1814-
De civitate Homerica. Dissertatio quam ... scripsit Philippus Humpert ... Bonnae, typis F. Baaden, 1839.
46 p. 21½ cm.

Thesis, Bonn, 1839.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE
CIVITATE HOMERICA

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Philippus Humpert,

GUESTPHALUS.

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN UNIVERSITATE RHENANA
NUPER SODALIS ORDINARIUS

BONNAE,

TYPIS FRANCISCI BAADEN.

MDCCCXXXIX.

DE
CIVITATE HOMERICA

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Philippus Humpert,

GUESTPHALUS.

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN UNIVERSITATE RHENANA
NUPER SODALIS ORDINARIUS

BONNAE,

TYPIS FRANCISCI BAADEN.

MDCCCXXXIX

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI OPTIMO DILECTISSIMO

Fr. Theoph. Welckero

DIRECTORI SEMINARII REGII PHILOLOGICI,

DE SE QUAM MAXIME MERITO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

In Homeri carminibus critice tractandis et ab omni parte illustrandis post Alexandrinorum lucubrationes iniquitate temporis paene absumptas nostra aetas duce prae ceteris Fr. A. Wolfio tanta cum laude versata est, ut omnem in eo operam confectam exhaustamque existimes. Est vero tota antiquitatis scientia ita comparata, ut quo maior lux undique aboriatur, eo melius quantae sint tenebrae depellendae, perspiciatur. Idque magis etiam de Homero valere nemo infitias ibit, qui Homeri carmina non solum ut egregia humani ingenii monumenta, sed etiam ut uberrimos remotissimae Graecorum antiquitatis fontes perlustrare et diligentius perpendere consuevit. Itaque quum primum ad Homericas antiquitates pro virili parte illustrandas animum attendissem meum, id minus verebar, ne supervacaneam aliquam aut non satis dignam rem suscepissem, quam ne viribus maiorem aptam potius eorum doctrinae, qui arctiorem cum Ho-

mero familiaritatem contraxerunt, quam licuit iuveni studiis academicis finem vixdum imposituro. Ut iam ingenue profitear, qua spe quove consilio hunc libellum conscripserim, non is fuit animus neque tanta audacia, ut propositam quaestionem absolvere et ad exitum perducere opinarer, sed imaginem quandam civitatis Homericae veluti primis lineis designare conatus sum ex ipsius Homeri carminibus. Placuit ab initio, ex utroque carmine separatim momenta colligere et pensitare, ut inde quoque, si fieri posset, de Iliadis et Odysseae discrimine aliquid statuatur. Mox vero ab incepto destiti et quae de ea re effici posse intelligerem, perpauca scilicet, suo loco malui indicare, quam disiungere, quae se invicem supplent. Troianorum instituta, quae ad rem publicam gubernandam pertinent, me Graecis immiscuisse nemo vitio vertet. Denique, quod quidem sentio quam sit difficile, eas res, quae ad historiam propius accedunt, ab ornamentis et additamentis poeticis discernere ac seiungere operam dedi, ne in eorum errorem incidam, qui a poetae laudibus Homero detrahunt, quod in historicum conferant.

De Graecorum populorum statu ac conditione, qualis eo tempore fuerit, cuius certiorem aliquam habemus memoriam, omnis ab Homero proficiscitur cognitio. Is enim in civitatum et familiarum, pugnarum et concionum et omnino omnium pacis ac belli conditionum descriptione non solum suum tempus, quo vivebat aut a quo non longe aberat, amplexus est, sed ea quoque, quae iam ipsi atque aequalibus suis prisca ac vetera viderentur, poesi immiscuit, sive quod magna ex iis voluptas et oblectatio caperetur, sive propter alias causas. Atque haec temporis remotissimi et Homerica aetate longe antiquioris vestigia, quoad quidem ad civitatem spectant, perpauca sunt, attamen non omnino praetermittenda.

Huc pertinet descriptio Cyclopum illorum, qui nullo societatis vinculo coniuncti neque legum nec

principis auctoritate continebantur, sed dominus quisque suorum, patriarcharum more, in statu quodam naturae liberrime vivebant. cf. Od. IX, 106—115:

Κυκλώπων δ'ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων,
ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν,
οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν,
— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
τοῖσιν δ'οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες·
ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσιν.

In tali vero statu ut vix primordia conspiciuntur civitatis, ita longissime abest ab Homerica. Poeta enim totam nobis Graeciam in plurimas partes divisam ostendit, quae omnes regia tenentur dignitate: eamque civitatis formam omnium fuisse primam communis est ceterorum quoque scriptorum consensus. Cf. Arist. Pol. III, 9, 7. Dionys. Hal. V, 74. Thuc. I, 13 c. ann. Goell. nov. ed. p. 109. sqq. Sed Homerus ipse audiendus: Cf. Il. II, 204 sqq.:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,

Verus huius loci saepissime excitati sensus, quamquam a vulgari interpretatione recedit, alia tamen via ad eandem recurrit. Nam proprie quidem sermo est non de regia dignitate, ut vulgo statuunt, sed de ducis imperio. Quae vero quamvis ita sint, latius tamen celebrem hanc Ulyssis sententiam patere et ad quodvis imperium sive ducis sive regis belli domique pertinere persuasum mihi habeo, praesertim quum regibus proprium sit munus militare. Itaque censeo, necessariam vel optimam civitatis formam Homero visam esse eam, ubi summa rerum penes unum est, non ab hominibus, sed ab Iove ipso delata et consecrata. Quin adeo ex divina stirpe reges sunt oriundi et sub singulari deorum tutela versantur. Cf. Il. II, 196 sqq.

θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ Διοτρεφέος βασιλῆος·
τιμὴ δ'ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

cf. v. 205. IX, 98. Hesiod. Theog. 96. Il. I, 278.

Sanctissima igitur regum maiestas, qui maxime diis cordi esse videbantur; nominantur enim *διοτρεφέες βασιλῆες* Il. I, 176. II, 98, 196, 445, 660. IV, 338. V, 463. XXIV, 803. Od. III, 480, cet. cf. Nitzsch. ad Od. I, p. 189; tum *διογενεῖς*. Sic Agamemnon Il. IX; 106, Ulysses II, 173, qui innumeris

locis ita salutatur; Aiax IV, 489, VII, 234, 249; Eurypylus XI, 810; Patroclus I, 337, XVI, 49, 707; Achilles XXI, 17; denique etiam plerumque *δῖοι*, ut Agamemnon Il. XXIII, 36, II, 221, XVIII, 257; Ulysses I, 145, II, 244, III, 205, VII, 168; Nestor II, 57; Priamus VIII, 460. XXIV, 618; Diomedes X, 502, 508 aliique pass.

Praeterea aliis quoque cognominibns appellantur, quae auctoritatem eorum inter homines humanitatem ac lenitatem quandam erga subditos exprimunt, qualia sunt *ποιμένες λαῶν* *), quasi pastores qui curae suae traditas pascunt oves et *ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες*. Tyrannorum vero et nomen et acerbitas crudelitasque aliena est ab aetate Homeri atque Hesiodi.

Regia dignitas accipitur hereditate, quem morem omnes civitates observasse videntur. Vere hereditarium regnum illud Agamemnonis erat, cuius genus

*) Hanc vocem inde esse natam, quod regis erat, exercitum recensere ac numerum inire aut propter aliam virtutem bellicam verisimile est. *Ποιμὴν λαῶν* non multum differt a voce *κοσμήτηρ λαῶν*. Sic numerat Proteus phocas Od. IV, 452. cf. Horat. Od. I, 2, 7, Aesch. sept. v. 24. Tiresias, qui aves inspicit vel numerat, *οἰωνῶν βοτὴρ* dicitur; ad h. l. v. Blomf. Gloss. p. 102.

cum successione in regnando describitur. Il. II, 104 sqq.:

Πέλοψ filius *Ταντάλου*

Ἀτρεύς *Θυέστης*

Ἀγαμέμνων *Μενέλαος* *Αἴγισθος*

Ὀρέστης.

Nimirum post Atrei mortem, cum filii eius essent infantes, regnum suscepit Thyestes, a quo imperium rediit ad Atrei filium. Cf. F. A. Wolf praelect. ad Il. t. II, p. 17. Agamemnon accipit sceptrum paternum, cf. Il. II, 46;

εἵλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον ἄφθιτον αἰεί.

cf. Od. I, 40.

Sic etiam Myrmidonum regnum erat hereditarium, Achilles enim Pelei patris bona a diis accepta laudat simulque conqueritur, quod filios, qui post eius obitum regnarent, non haberet. Cf. Il. XXIV, 534 sqq.

ὣς μὲν καὶ Πηλῆϊ θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα
ἐκ γενετῆς· — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
ἀλλ' ἐπὶ καὶ τῷ θῆκε θεὸς κακόν, ὅττι οἱ οὔτι
παίδων ἐν μεγάροισι γονὴ γένετο κρειόντων.

Item apud Troianos regnum a patre traditur per manus filio. Quod ex Achillis verbis colligi potest, qui Aeneae in certamen procedenti renuntiat, eum nunquam esse regnaturum, cum Priamo essent filii. Cf. Il. XX, 181 sqq.:

— — — *ἀτὰρ εἴ κεν ἔμ᾽ ἐξεναρίξῃς*
οὔτοι τοὔνεκά γε Πρίαμος γέρας ἐν χερὶ θήσει.
εἰσὶν γάρ οἱ παῖδες.

Neptunus quidem ait, Aeneam olim dignitate regia fore eiusque filiorum filios. Cf. Il. XX, 306 sqq.

νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Cf. Virg. Aen. III, 97. Id vero tum demum potuit accidere, quum Priami stirps exstincta (cf. v. 306.) esset. Quam de hoc loco protulit sententiam V. Ill. A. G. a Schlegel (Heidelb. Jahrb. 1816. Nro. 55. p. 874), eam magis etiam in nostram rem facere, statim apparet. Hector precatur a diis, ut filio dent regnandi potestatem. Cf. Il. VI, 476 sqq.:

Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ᾽ ἐμόν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
ὧδε βίην τ᾽ ἀγαθόν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν.

Ulyssis vero regnum, utrum iure hereditario necne ad filios transierit, exillius stemmate, ut ita dicam, non constat. Cf. Damm. in lex. Gr. et E. Schreiber in lib. Ithaka oder Versuch einer geograph. antiq. Darstellung der Insel Ithaka nach Homer und den neuern Reisenden. Leipzig 1829. 8. p. 61. Ceterum coniicere aliquid fortasse licet ex Od. III, 214 sqq., I, 400 sqq. et ex Antinoi oratione. Cf. Od. I, 386 sqq.:

μὴ σέγ᾽ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλῆα Κρονίων
ποιήσειεν, ὅ τοι γενεῇ πατρώϊόν ἐστιν.

cf. Nitzsch. l. l. p. 62.

Quos versus recte explicuit, ut credo, E. Platner in lib. not. iur. et iust. ex Hom. et Hesiod. carm. expl. Marb. 1819. 8. p. 111: *ideo potissimum ad regimen adspirare poteris, quoniam id ipsum iam pater tuus obtinuit et familia tua in possessione regni collocata est. Ad hanc itaque rationem est restringenda sententia Antinoi: Telemacho genere paternum esse, in Ithaca regnare.* Aliqua tamen de successione dubitatio subire Telemachum videtur, ut ipsius docet responsio. Od. I, 394 sqq.:

ἀλλ᾽ ἤτοι βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νέοι ἠδὲ παλαιοί·
τῶν κέν τις τόδ᾽ ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς

et Od. XV, 519 sqq. Telemachus profitetur Theoclymeno vati illi, maxima iam auctoritate apud populum Ithacensem Eyrymachum frui, qui matrem ducere in matrimonium et regiam potestatem sibi vindicare in animo habeat:

Εὐρύμαχον, Πολύβοιο δαΐφρονος ἀγλαὸν υἱὸν,
τὸν νῦν ἶσα θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορόωσιν·
καὶ γὰρ πολλὸν ἄριστος ἀνὴρ, μέμονέν τε μάλιστα
μητέρ' ἐμὴν γαμέειν, καὶ Ὀδυσσῆος γέρας ἕξειν.

Etiamsi vero dubium est, regnum per ordinem successionis ad filium descendisse, apud regiam tamen stirpem Ithacenses avitum imperium manere, quam ab alio usurpari maluerunt. Telemachus patre absente omnium principum totiusque populi concilium convocari iubet, sumptoque sceptro in patris sedili assidet; principes (*γέροντες*) autem ei obsequuntur. Cf. Od. II, 14.

ἕζετο δ' ἐν πατρὸς θώκῳ, εἶξαν δὲ γέροντες.

Sunt praeterea multi in hac civitate principes, qui et regnasse ipsi simulque maiori unius auctoritati cessisse ac quodam modo obsecuti esse videntur. Summus ille moderator inter regulos, ut ita dicam, Ithacenses fuit Ulysses, cuius vices, dum aberat, per

viginti annos nemo, ne Laertes quidem, subiit. Quare Aegyptius heros concionatur Od. II, 26 sqq.:

οὔτε ποθ' ἡμετέρη ἀγορὴ γένετ', οὔτε θόωκος,
ἐξ οὗ Ὀδυσσεὺς δῖος ἔβη κοίλῃς ἐνὶ νηυσίν.
νῦν δὲ τίς ὧδ' ἤγειρε; τίνα χρειὼ τόσον ἵκει —.

Fortasse eam ob causam nemo Ulyssis absentis munere regio fungebatur, quia nimia eius potestas atque auctoritas esset apud populum, ut e Theoclymeni verbis apparet, cf. Od. XV, 533 sqq.

ὑμετέρου δ' οὐκ ἔστι γένος βασιλεύτερον ἄλλο
ἐν δήμῳ Ἰθάκης, ἀλλ' ὑμεῖς καρτεροὶ αἰεί,

aut fortasse quia Ulysses, sibi suisque rebus timens, id providerat, ne alius maiestatem occuparet.

Haec vero Ithacensis civitatis conditio, quam descripsi, maximam habet similitudinem cum Phaeacum regno, quod eodem fere modo inter certum quendam principum numerum partitum fuisse videtur, quibus Alcinous tanquam summus rex et quasi primus inter pares praeesset; de quo rege, utrum a ceteris electus sit an iure hereditario regnaverit, apud Homerum nihil constat; sed de hac re infra fusius disputabimus.

Reges imbelles corpore animoque confecti et ad labores suscipiendos amplius invalidi imperium etiam sua sponte, ut in eorum locum succederent filii, de-

ponere solebant, ut Laertes, qui regnum Ulyssi tradens vitam privatam simplicissime ac parcissime heroum more degebat: (cf. Od. I, 190 sqq. XXIV, 206 sqq. cf. Wachsm. Hell. Alterth. p. 84. Nitzsch ad Od. I, p. 62. Antiq. Hom. ed. J. Terpstra. p. 66. Tittmann's Darstellung Griech. St. p. 75) sive coactus a populo seu principe alio. Idcirco Ulysses e matre, quum eam in inferis visitaret, quaesivit, quis regnum teneret, filiusne an alius? cf. Od. XI, 174 sqq.:

εἰπὲ δέ μοι πατρός τε καὶ υἱέος, ὃν κατέλειπον,
ἢ ἔτι πὰρ κείνοισιν ἐμὸν γέρας, ἦέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλος ἔχει, ἐμὲ δ' οὐκέτι φασὶ νέεσθαι.

Item Achilles ex Ulysse percontatus est, an Peleus (cf. v. 494. sqq.):

— ἔτ' ἔχει τιμὴν πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν,
ἦ μιν ἀτιμάζουσιν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε,
οὕνεκά μιν κατὰ γῆρας ἔχει χεῖράς τε πόδας τε.
— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
εἰ τοιόσδ' ἔλθοιμι μίνυνθά περ ἐς πατέρος δῶ,
τῷ κέ τεῳ στύξαιμι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους,
οἳ κεῖνον βιόωνται, ἐέργουσίν τ' ἀπὸ τιμῆς.

Ex pluribus regum filiis haud dubie natu maior, quem Erinnyes custodiunt, (cf. Il. XV, 204:

οἶσθ', ὡς πρεσβυτέροισιν Ἐρινύες αἰὲν ἕπονται.

in regno patri succedebat, cf. Herod. VII, 2. Paus. IV, 1, 2; nonnunquam inter filios divisum esse fabulae de Eteocle et Polynice, de Pandionis filiis (cf. Strab. IX. p. 392) aliisque docent; ne generi quidem, mascula subole deficiente, a successione exclusi fuerunt. cf. Waschm. l. l. p. 84.

De regum muneribus.

Reges quum a Iove (cf. etiam Spanh. ad Callim. h. in Iov. v. 79 *ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες*) ut supra monuimus, genus deducant, non solum ipsi sancti ac venerabiles populo erant, sed etiam ea omnia, quae in civitate regenda pro populo exigebant. E quibus rebus tres potissimum secundum Aristotelem sunt nominandae. Cf. Pol. III, 9, 7: *κύριοι δ' ἦσαν τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαὶ καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον· τοῦτο δ' ἐποίουν*

οἱ μὲν οὐκ ὀμνύοντες, οἱ δ'ὀμνύοντες, ὁ δὲ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις. Primum igitur, ut sacra quaedam populo facerent, tum domi ut ius dicerent, foris denique ut exercitui praeessent: quae munera hoc ordine exponere liceat. a.) Sacrificare regis esse, perpaucis modo locis apud Homerum probatur, quod inde explicari posse videtur, quia sacrificandi occasiones in Troiae obsidione perquam raro iuveniebantur. Neque omnia sacra sive foris sive domi erant regibus facienda, sed ea modo, quaecunque non ad sacerdotum procurationem pertinerent, cf. Arist. l. l. θυσίαι ὅσαι μὴ ἱερατικαί, VI, 5, 11: τὰς κοινὰς μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλὰ τοῖς ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν. Atque hi erant heroica aetate reges, sed postea, regibus dudum submotis, Graeci hoc munus dignitati regiae tam necessario iniunctum crediderunt, ut in multis civitatibus βασιλεῖς ἱερῶν sive hoc sive alio nomine permanserint. Romani ipsi regibus exactis quendam e senioribus auctoritate insignem regem sacrorum eligebant, qui non alii muneri, nisi cultui praeesset divino. Cf. V. Ill. Hüllmann. Anfänge der Gr. Gesch. p. 253. sqq. C. Herrmann. Lehrb. der Staatsalterth. p. 5. not. 11. Sacra vero, de quibus Homerus mentionem fecit, partim privata ac domestica, ut Pelei Il. XI, 772 sqq, Nestoris Od. III, 439 sqq. aliorumque (cf. Nitzsch ad Od. I, p. 219,) partim publica sunt, ut Agamemnonis illud pro exercitu. Cf. Il. II, 402:

αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων sqq.

et ad foedus sanciendum Ill. III, 267 sqq. et Nestoris. Pyliorumque Od. III, 5 sqq., denique etiam θαλύσια illa ab Oeneo Calydonio rege celebrata. Cf. Il. IX, 534 sqq. et quae Alcinous cum ceteris principibus regulisve fieri iubet Od. XIII, 171 sqq.

Reliqua autem sacra, quae regum non erant, tam numinum templorumque antistites (cf. Lobeck Aglaoph. p. 256 sqq.), quam quisque alius sine sacerdotum opera ipsi peragere poterant, ut pro familiaribus pater familias, pro exercitu imperator, pro populo rex. Cf. Il. II, 402—419. IX, 219. XI, 772, Od. III, 5 sqq. 418—460. XIV, 421. sqq. Sacerdotes templa curant, prope quae plerumque domicilium habent. Cf. Il. XVI, 234, 35:

— — — — ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.
cf. Od. IX, 200.

Sacerdotem communem Graeci in castris non habebant; quos poeta nominavit, fere sunt hi: Χρύσης Apollinis, Δάρης Vulcani Il. V, 9, Δολοπίων Σκα-

μάνδρου ἀρητήρ v. 78, *Θεανώ* Minervae sacerdos, Il. VI, 298, *θεῶν ἱερῆας ἀρίστους* apud Aetolos Il. IX, 575. *Ὀνήτωρ Διὸς ἱερεὺς Ἰδαίου* Il. XVI, 604. *Μάρων* Apollinis sacerdos Od. IX, 197. *Ὀργὶονες*, Hym. Apoll. v. 212 et praeterea etiam apud oraculum Pythicum sacerdotes commemorantur Od. VIII, 79, qui Hermanni sagacitatem in l. Briefe über Hom. und Hes. von Herm. und Creuzer. p. 70. fugisse videntur.

Sacerdotium certis nonnisi familiis tanquam ius quoddam hereditarium fuisse, verisimillimum est; feminae quoque fungebantur sacerdotiis cf. Il. VI, 300: Antenoris uxorem *Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίης ἱέρειαν.* Quantopere aetate heroica sacerdotum auctoritas sit imminuta et fracta, ex eo, quod primaria illa sacrificia iam non faciant, effici potest.

At vero magna haud dubie in eo erat principum regumque auctoritas, qui propter gravissimum hoc munus quasi sacrosancti habebantur, qui religionem, ut promptiores haberent milites et fortiores, adhibebant, qui, quum eorum esset officium, deos consulendi eorumque, voluntatem ex animalibus, coelo terraque sciscitandi, bellum non tam ex suo ipsorum arbitrio, quam coelestium consilio decrevisse videbantur. Quum tali modo eorum auctoritas cresceret, fieri non potuit, quin paullatim veterum sacerdotum honos

ac potestas deminueretur. Non solum reges dignitate eos superabant cf. Il. I, 76 sqq. ubi Calchas, sapientissimus ille vates, ipse Agamemnonem potentiorem, se vero inferiorem dicit virum, sed etiam principum (*γερόντων*) praeceptis subiecti erant. cf. Il. IX, 574, 578 sqq. Pauci illos more magis quam religione commoti consuluisse videntur, cf. Od. XIV, 327. XIX, 296 sqq; Priamus maximo cum contemtu haruspices sacerdotesque mendacii accusat, cf. Il. XXIV, 220 sqq:

εἰ μὲν γάρ τίς μ' ἄλλος ἐπιχθονίων ἐκέλευεν,
ἢ οἳ μάντιές εἰσι, θυοσκόοι, ἢ ἱερῆες
*ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον**).

Attamen hisce argumentis haudquaquam probari potest, apud Graecos ab initio summum imperium penes sacerdotis non fuisse, quum de ea re indicia quamvis pauca apud Homerum exstant e. c. quum Melampus opibus aedibusque inter Pylios insignis a Neleo e patria eiectus, Argos, ubi Argivis imperaret, petiit, cf. Od. XV, 225 sqq. v. 240:

---

*) Sacerdotes inter nobiles nnmerandos esse, haud dubitari potest; in rebus civilibus eundem cum ceteris civibus locum obtinebant. cf. Nitzsch l. l. I. p. 222 sqq. Wachsm. II, 1, p. 367. Strabo IX p. 413 militiae vacationem iis tribuit.

— — πολλοῖσιν ἀνάσσοντ᾽ Ἀργείοισιν.

cf. Od. XI, 91 sqq. coll. X, 492. cf. I. Lessmann de dignitate regia, qualis secundum Homerum vig. aet. heroic. 1828. 4.

Hanc vero disquisitionem perdifficilem de vetere sacerdotum potentia, quae sine dubio ante Homeri tempus fuit, iam nunc mittamus. cf. V. Ill. A. G. a Schlegel (Heidelb. Iahrb. Nro. 53. p. 846.) Transeo igitur

b) ad alterum regum munus, ad iuris dictionem, propter quam frequentissime a poeta reges nominantur δικασπόλοι, θεμιστοπόλοι, ut in Il. I, 237 sqq:

— — — νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται — — —

qui iura tuentur et conservant Iovis nomine, quo ea regibus tradita et commissa dicuntur cf. Il. II, 206. IX, 99. Sic laudatur Sarpedon Lyciorum rex propter eximias virtutes, iustitiam, quam in cives exercuerit et fortitudinem, qua arcuerit hostes, cf. Il. XVI, 542:

ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ etc.

Quantopere bonum regem iustitia deceat, ex Od. XIX, 111 sqq. videmus, ubi Ulysses eius regis glo-

riam ad coelum usque pertinere dicit, qui deos veneratur, in populum optime regnat et iura aeque sustentat:

— — — — ὥστε θεουδὴς
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
εὐδικίας ἀνέχῃσι.

Sceptrum (cf. Nitzsch I, p. 71. C. Fr. Hermann Lehrb. der Griech. Staatsalterth. cet. ed. nov. p. 124. not. 6.) iudicis insigne, semper reges in iudiciis gestabant, cf. Il. XXIII, 573. Menelaus quum litem inter Antilochum seque ipsum dirimere vellet, a praecone illud accipit. cf. v. 567: — — ἐν δ᾽ ἄρα κῆρυξ

χερσὶ σκῆπτρον ἔθηκε.

Omnem autem iuris dictionem reges non solos administrasse, sed in ea etiam principes fuisse versatos, in dubium vocari nequit, cf. Il. XVIII, 503 sqq. Hesiod. O. et D. 38 sqq. 261, quibus locis reges adfuisse ab Homero non dilucide commemoratur. De gravissima hac τῆς δικηγορίας descriptione in Achillis clypeo representata postea disserendum. Ceterum reges litium iudices ad civitatis salutem servandam et civilem concordiam sustentandum tam necessarii visi sunt scriptoribus antiquis, ut neque homines sine ulla iustitia vivere, nec civitatem sine rege omnino existere posse merito contenderent. cf. Cic. de off. II, 12: sed

etiam apud maiores nostros iustitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti. cf. Herod. I, 96. Quam ob rem ipse discernere non ausim, utrum ducis vel imperatoris munus, id quod voluit Weisse in l. de diversa naturae et rationis in civitatibus constituendis indole. Leipz. 1823. 8. p. 74 et 96, an iuris dictionis sit gravius ac maioris momenti. Deinde regis est

c) populo praeesse et bello et pace. Nestor Agamemnonem admonet ita Il. II, 24, 25:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλεν.

Agamemnon etiam dicitur βασιλεύτατος Il. IX, 69. quod cognomen ei convenit, qui summus est imperator principum foedere coniunctorum.

Reges apud Homerum ubivis invenies exercitus duces. Eorum fuit, pugnantes percensere, (cf. V. Il. A. F. Näkii Choeril. p. 229.) in acie collocare, cf. Il. II, 362 ait Nestor:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις;

de hac divisione v. Buttmanni Mythol. II, p. 314. mediam in pugnam deducere, cf. Ill. II, 344 sqq:

Ἀτρείδη, σὺ δ' ἔθ', ὡς πρίν, ἔχων ἀστεμφέα βουλήν,
ἄρχευ' Ἀργείοισι κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας,

et inter primos pugnare. Cf. Il. XII, 315 sqq. Circum regem plerumque sunt fortissimi ac plurimi bellatores, ut circa Agamemnonem Il. II, 576; neque solum inter exercitus primos pugnat, sed ipse saepe certamen suscipit singulare, ut Agamemnon, Il. VII, 162, quum Hector Graecorum fortissimum quemque provocasset ad μονομαχίαν

ὦρτο πολὺ πρῶτος μὲν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων.

Maxima fuit regum potestas apud exercitum in bello, quod praesertim in tanta variarum gentium multitudine etiam necessarium fuit. Itaque summus imperator (ὁ βασιλεύτατος) potestatem vitae necisque habebat, cf. Ill. II, 391 sqq:

ὃν δὲ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς.

cf. Aristot. Pol. III, 14, qui ad hanc rem confirmandam trita illa verba, quae apud nostrum Homerum frustra anquiras, laudat: πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος i. e. Agamemnoni est ius, fugientes necare. In universum, regi indicta causa (ἐν χειρὸς νόμῳ) ad supp-

licium trahendi fuit liberrimum arbitrium. cf. Fr. A. Wolf prael. ad Il. I, p. 60. Quaenam regis potestas in principes foedere coniunctos fuerit, apparet ex Il. IV, 338—357, quo in loco summus imperator reliquos principes ad fortiter pugnandum hortatur. Quibus verbis Ulysses offensus iracunde respondet, Diomedes autem (v. 402) regem abiurgantem ac castigantem aequo fert animo, ea de causa, ut videtur, quod alia ratio inter Agamemnonem et Ulyssem, alia inter illum et Diomeden intercedit. Hic enim regis imperio erat subditus, Ulysses contra socius modo belli. cf. V. Ill. A. G. a Schlegel (Heidelb. Jahrb. 1816. Nr. 55. p. 867.)

Hectori principes propter desidiam atque ignaviam increpanti respondet Sarpedon: Te decet precibus adire principes, fortiter ut pugnent, at vero minime eos aspere insolenterque tractare, cf. Il. V, 472—92. v. 490 sqq:

σοὶ δὲ χρὴ τάδε πάντα μέλειν νύκτας τε καὶ ἦμαρ
ἀρχοὺς λισσομένῳ τηλεκλητῶν ἐπικούρων,
νωλεμέως ἐχέμεν, κρατερὴν δ᾽ἀποθέσθαι ἐνιπήν.

Ulysses quum Graeci e Troia fugere vellent, *βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα* lenibus verbis retinere studebat cf. Il. II, 188, 89:

ὅντινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη,
τὸν δ᾽ἀγανοῖς ἐρητύσασκε παραστάς, —

quemcunque vero plebis hominem (*ἄνδρα δήμου*) conspexit, sermone increpabat ac scipione caedebat, cf. 198, 99:

Ὃν δ᾽αὖ δήμου τ᾽ ἄνδρα ἴδοι, βοόωντά τ᾽ἐφεύροι,
τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ

Sic Ulysses Thersiten foedis verberibus tractat, non quia vocem tollit in concione, sed propter laesam reverentiam summo imperatori debitam. Inde multi perperam coniecerunt, cuique e plebe verba facere in concione licuisse aut suffragii ius fuisse.

Hac enim narratiuncula nil aliud voluisse poeta videtur, quam demonstrare ducis periculum, qui exercitui, e variis variarum civitatum militibus composito, praeest. Est enim Thersites homo seditiosus et novarum rerum cupidus, qui mobilitate et levitate plebis fretus maiorem, quam par est, sibi licentiam sumit. Sed principis auctoritate facile coercetur neque obstat populus, quin turpissimas acerbissimasque poenas luat. At vero ne est quidem Thersites plebeius homo. Fuit enim Agrii, Oenei fratris filius eumque Ulysses Il. II, 246 ita alloquitur: *λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής;* qui quidem *ἀγορηταί* in nobilium nu-

mero habebantur. Hac in narratione poetam fabulam antiquam, quod ex Il. II, 220, 239 aliisque locis coniici licet, secutum esse aut ipsum, quod minus fortasse placet, finxisse non multum abest, quin credam.

Denique reges suscipiendi aut componendi belli arbitrium, ac foederum cum ceteris civitatibus tractandorum potestatem communem cum principibus habuisse videntur, certe in Ithacensium cf. Od. XXI, 21:

παιδνὸς ἐών· πρὸ γὰρ ἧκε πατὴρ, ἄλλοι τε γερόντες,

Troianorum, cf. Il. X, 414, 15:

Ἕκτωρ μὲν μετὰ τοῖσιν, ὅσοι βουληφόροι εἰσιν,
βουλὰς βουλεύει θείου παρὰ σήματι Ἴλου cet.,

Aetolorum Il. IX, 574 sqq. et Phaeacum civitate. Ex his vero Agamemnon excipiendus non est. Nam in castris Troianis inter eum ceterosque duces coniunctos eadem intercedit ratio, quae in civitatibus modo commemoratis inter regem populique principes. Cf. de Agamemnone Il. II, 53, 404.

De commodis ac privilegiis, quibus reges fruuntur.

Regum dignitas (*τιμή*) auctoritate potissimum, qua apud populum valebant et potentia, qua multitudinem superabant, nitebatur. Pertinebant ad eam praemia quoque ac dona (*δῶρα* et *δωτῖναι*) et quos ferebat fructus *τέμενος*, agros, pascua, arbusta, cf. Il. VI, 193 sqq:

δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης·
καὶ μέν οἱ Λύκιοι τέμενος τάμον, ἔξοχον ἄλλων
καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης, ὄφρα νέμοιτο. cf. Il. XII, 310 sqq.

Aetoli Meleagno agrum vini aliarumque frugum feracem, ubicunque vellet, eligendum permiserunt, cf. Il. IX, 578 sqq:

ἔνθα μιν ἤνωγον τέμενος περικαλλὲς ἑλέσθαι,
πεντηκοντόγυον· τὸ μὲν ἥμισυ οἰνοπέδοιο,
ἥμισυ δὲ ψιλὴν ἄροσιν πεδίοιο ταμέσθαι.

cf. de agro Alcinoi Od. VI, 293, Ulyssis Od. XVII, 299, Telemachi Od. XI, 184 et Aeneae Il. XX, 184

sqq. Deinde regi persolvebantur pro iudiciis tributa, cf. Il. IX, 155:

οἵ κέ ἑ δωτίνῃσι, θεὸν ὥς, τιμήσουσιν,
καί οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας.

Verum huius loci sensum cum alii VV. DD. perspexerunt, tum Nitzschius, qui *θέμιστας* pro iuribus sive expensis ut ita dicam accipit, quae regi solvebantur a litigantibus. Neque audiendi sunt ii, quibus hoc fere modo transferre praeplacet: eius sub sceptro et regimine splendidos et felices exercebunt mores. Cf. Heyn. ad h. l. in abss. t. V, p. 562. Totam quaestionem componit Il. XVIII, 507 sqq:

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα,
τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι,

Quo loco etsi proprie de seniorum (*γερόντων*) praemiis sermo est, etiam de regibus utpote summis iudicibus idem valere plus est, quam verisimile.

Denique reges sedebant honoratissimo loco et in conviviis cibo potuque exquisitiore ac largiore fruebantur, cf. Il. VIII, 161 sqq:

Τυδείδη, πέρι μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν.

cf. XII, 311. XVII, 250:

Ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες
δήμια πίνουσιν.

(Cf. Herod. VI, 67 *σιτεόμενοι τὰ δημόσια*). Qui versus hunc fere habent sensum: reges convivantur ac bibunt de publico una cum principibus. Ceteris autem convivis demensum (*δαιτρὸν*) aequa portione suppeditabatur, cf. Il. IV, 261 sqq; Agamemnon cum Idomeneo, quem prae ceteris honore afficit, ita sermocinatur:

εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ
ἕστηχ', ὥσπερ ἐμοί, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγει.

Cf. ad h. l. F. A. Wolf prael. t. II, 256, qui summam in distribuendis cibi potusque ratis partibus iustitiam in conviviis adhibitam esse affirmat.

Ad ea, quae enumeravi, commoda accedunt alia quoque regum emolumenta, ut munera gratuita, cf. Il. VII, 470 sqq:

χωρὶς δ' Ἀτρείδῃς, Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ,
δῶκεν Ἰησονίδης ἀγέμεν μέθυ, χίλια μέτρα.

Cf. Il. XXIV, 234 sqq:

ἐκ δὲ δέπας περικαλλές, ὅ οἱ Θρῆκες πόρον ἄνδρες.

cf. Il. IX, 576. Od. XXIII, 357 sqq:

Tum praedae, quae, urbibus direptis, e pecoribus captis (cf. Il. I, 431) et hominibus (cf. Il. IX, 594) praecipue agebatur maiorem atque optimam partem sibi vindicare reges solebant. cf. Il. VIII, 279. Agamemnon ex praeda primum sibi ipsi, quantum visum est, eligit, suas deinceps partes singulis dispensat:

πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω.

Il. I, 369:

ἐκ δ' ἕλον Ἀτρείδῃ Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον.

Il. XVI, 56:

κούρην ἣν ἄρα μοι γέρας ἔξελον υἷες Ἀχαιῶν.

cf. Il. XI, 626 sqq. XVIII, 444. IX, 328 sqq. Terpstra Antiq. Homer p. 94. Herod. IX, 80. 81.

Reliqua autem praeda partim militibus assignabatur, partim in publicum redibat aut diis consecrabatur. Praeterea reges saepe in privata adducebantur convivia. cf. Od. XI, 185 sqq:

(Telemachus) — *καὶ δαῖτας ἐΐσας*
δαίνυται, ἃς ἐπέοικε δικασπόλον ἄνδρ' ἀλεγύνειν·
πάντες γὰρ καλέουσι.

Vocati vero a principibus ad communes epulas officii causa eosdem revocare debebant, cf. Od. VII, 49:

— — *δήεις δὲ διοτρεφέας βασιλῆας,*
δαίτην δαινυμένους,

cf. v. 189. VIII, 41. XIII, 8, Nitzsch I, p. 41. Il. 259, ad. q. l. v. Heyn. p. 343; IX, 70 v. Heyn. XVII, 249.

Postremo si quam de suo impensam fecerat rex in rei publicae administrationem, publice restituebatur, cf. Od. XIII, 14, ubi hospiti iter acceleranti rex principesque dona de suis dant, quae postea ipsis a populo restituuntur. Qua propter Alcinous in principum (*γερόντων*) consilio, se deinde a populo pretium collecturum esse dicit pro iis, quae dederint hospiti, cf. Od. XIX, 197.

De regum insignibus.

Insignia gentilicia, quibus reges ornati fuerint, apud Homerum non occurrunt, nisi forte sceptrum regiae dignitatis insigne putes, quod vero regibus singulare non fuisse supra iam monuimus, quum etiam sacerdotes, legati, praecones, concionantes iudicesque id habuerint. Propria autem est appellatio *σκηπτοῦχος* magnis solummodo principibus, quî auctoritate et po-

tentia eminent, ceteris autem sceptra gerentibus nunquam hoc nomen imponitur. Regium diadema tum temporis fuit ignotum, quippe primum a Macedonum regibus gestatum. Item delectam manum, quam custodiae causa reges circa se habuerint, frustra quaeris. Ceterum maior eos splendor ac magnificentia circumdedit, ut in cultu, ludis et in quavis vitae externae conditione. Cf. Od. IV, 115, 154. Schoemanni Antiq. iur. publ. apud Graecos. p. 64. not. 4.

De regum ministris.

Primum locum inter eos, qui ministri regum et perpetui comites erant, haud dubie obtinebant a., κήρυκες, auctoritate graves, sacri atque inviolati, quod ex Achillis verbis Il. I, 334 patet:

χαίρετε, κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Officia eorum latissime patebant; reges iis mandata ad alios deferenda dabant, cf. Il. I, 320, ubi Aguamemnon Talthybium et Eurybaten ad Achillem, qui puellam reposcerent, misit,

τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε et sqq.

Convocabant populum ad concionem cf. Il. II, 50 sqq.:

αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν,
κηρύσσειν ἀγορήνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Aderant regibus in rebus divinis procurandis, cf. Il. III, 245 sqq.:

κήρυκες δ᾽ ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστά sqq.

cf. v. 274. Od. I, 109 sqq. VII, 163, 178.
Ad pugnam provocabant Il. II, 442 sqq.:

αὐτίκα κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν,
κηρύσσειν πόλεμόνδε καρηκομόωντες Ἀχαιούς.

Certamine singulari pugnantes heroas etiam invitos coercebant compescebantque, ut Aiacem et Hectorem Il. VII, 274.:

εἰ μὴ κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἦλθον, ὁ μὲν Τρώων, ὁ δ᾽ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων,
Ταλθύβιός τε καὶ Ἰδαῖος, πεπνυμένω ἄμφω.
μέσσῳ δ᾽ ἀμφοτέρων σκῆπτρα σχέθον· εἶπέ τε μῦθον
κῆρυξ Ἰδαῖος, πεπνυμένα μήδεα εἰδώς·
Μηκέτι, παῖδε φίλω, πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον!

cet.

Qualis quantaque praeconum auctoritas fuerit, ex ultimo versu potissimum cognoscas, quum principes adeo ipsos alloquuti sint: *παῖδε φίλω;* simulque ex hoc loco constat, gestasse eos scipionem insignem, ordinis et potestatis signum; omniumque rerum bene peritos fuisse. Cedebant omnes summi ducis tanquam summo praeconi, neque in bello solum, sed etiam in pace perpetui principum ministri erant. cf. Il. XVII, 324 sqq.

κήρυκι Ἠπυτίδῃ, ὅς οἱ παρὰ πατρὶ γέροντι
κηρύσσων γήρασκε, φίλα φρεσὶ μήδεα εἰδώς.

Senioribus, quum sceptra decssent, ad ius dicendum surgentibus ea traduntur a praecone, cf. Il. XVIII, 503 sqq.:

κήρυκες δ᾽ ἄρα λαὸν ἐρήτυον· οἱ δὲ γέροντες
— — — — — —
σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ᾽ ἔχον ἠεροφώνων.

Aderant igitur praecones in iudiciis, sceptra tenentes publicae auctoritatis insignia. Menelao, quum dicere vellet in concilio, sceptrum tradit praeco, cf. Il. XXIII, 567 sqq.:

— — — — *ἐν δ᾽ ἄρα κῆρυξ*
χερσὶ σκῆπτρον ἔθηκε, σιωπῆσαί τ᾽ ἐκέλευσεν.

cf. Od. II, 38.

Deinde praecones regibus coenam ministrantes videmus ex simplicitate heroica, cf. Od. I, 43 praeco Ulysse absente vinum affert hospitibus:

κῆρυξ δ᾽ αὐτοῖσιν θάμ᾽ ἐπῴχετο οἰνοχοεύων. v. 146.
τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Cf. Od. III, 338, 471, 72. XXI, 270. Il. XXIII, 39.

Postremo quidquid moliebantur reges, praesto erant praecones, cf. Od. IV, 301, quo in loco praeco hospites e triclinio regio ad cubicula deducit et Il. XXIV, 281. una cum Priamo equos iugo subdit et ad currum iungit, cf. 353, 576, 673 et al. pass.

Quot praecones regum unusquisque habuerit domi bellive, satis non constat. Principibus Graecorum, qui in Agamemnonis concilio versabantur, novem aderant, igitur unus cuique, cf. Il. II, 97. Pariter apud Phaeaces reguli singulis utebantur ad ministeria. cf. Od. VIII, 399. Munus praeconum hereditate ad filios devenit, uti postea apud Spartanos, qui a more ab antiquis tradito parum recedebant. cf. Herod. VI, 60. C. O. Müll. Dor. III, p. 30.

Etiam nomina, quibus poëta illos ornavit, memoratu sunt digna, quum ad accuratiorem dignitatis notitiam aliquantum valeant. Huc referenda sunt *Διὸς ἄγγελοι* Il. I, 334, *βοόωντες* II, 97; *λιγυφθόγγοι* v. 50, 442; *ἀγαυοὶ* III, 268; *θεῖος* IV, 192; *Διῒ φίλοι*

VIII, 5, 17; ἠεροφώνων XVIII, 505; καλήτορα XIV, 577; ἀστυβοώτην 701; ἠπύτα VII, 384; πεπνυμένα μήδεα εἰδώς Od. II, 38; δημιοεργοί XIX, 135 et alia.

Praeter hos praecones circa regem versabantur b., θεράποντες, qui haudquaquam omnes regis imperio subditi erant, ne inferiori quidem loco nati neque δοῦλοι vel ἀμφίπολοι, sed potius regibus genere pares ac familiares, quibus res graviores curae erant. Neque confundendi sunt cum armigeris, quibus Cretenses utebantur in bello, cf. Eust. ad Il. p. 1240, 32: θεράπων δοῦλον ὁπλοφόρον δηλοῖ κατὰ τὴν Κρητῶν γλῶτταν. cf. Apoll. lex. et Et. M. C. O. Müll. Dor. III, p. 38.

Plerumque in bello regem comitantur. Quibus in pace muneribus functi sint, certi ex Homero nil constat. Sponte potius et honoris causa, quam coacti sequebantur. Sic tradit poeta, Lycophronem, Mastoris filium ab Aiace, cuius esset θεράπων eiusque fratre parentum loco esse habitum. cf. Il. XV, 431 sqq.

— ὁ δ' ἔπειτα Λυκόφρονα, Μάστορος υἱόν,
Αἴαντος θεράποντα, Κυθήριον, ὅς ῥα παρ' αὐτῷ
ναῖ'. — v. 438, 39:
— — ὃν νῶϊ, Κυθηρόθεν ἐόντα,
ἶσα φίλοισι τοκεῦσιν ἐτίομεν ἐν μεγάροισιν.

Achilles Patroclo θεράποντι supplex a Iove victoriam precatur, ut Hector, θεράποντα solum pugnam inire posse, intelligat. cf. Il. XVI, 243 sqq.:

— — ἤ ῥα καὶ οἶος ἐπίσταται πολεμίζειν
ἡμέτερος θεράπων. cf. v. 165. Od. IV, 23, Il. VII, 149.

Frequentissime θεράποντες equorum habenas moderabantur (ἡνίοχοι) et pari fere honore, quam παραιβάτης habebantur. Cf. Il. V. 580. VIII, 119. XII, 111. VI, 18, 53. Nonnunquam haec dignitas ipsis cum praeconibus communis fuisse videtur. C. Il. I, 321. Od. I, 109. XVIII, 291, 297, 300, 423. cf. Nitzsch. I. p. 233.

Ad vero nunquam tales apud poetam nostrum sunt cogitandi, quales δρηστῆρες, qui et ad servorum numerum pertinere possunt saepeque re vera pertinent.

De ceteris hominum generibus, qui ab regis aut cuiusque arbitrio pendentes leviora officia sive rem rusticam sive pecuariam sive domesticam curabant δμῶες, θῆτες, disserere a proposito nostro alienum est.

De principibus.

Quamvis reges potentia atque auctoritate ceteros antecederent, tamen per se soli de omnibus rebus publicis decernere non poterant, sed ex consensu et voluntate tum senum (*γερόντων*), tum populi (*δημοῦ*) ipsius, quos utrosque singulatim unaque convocari mos erat, de eo, quod ad publicam utilitatem ac salutem pertineret, suffragia ferebantur. Concilium senum aut principum *βουλὴ γερόντων* cf. Il. II, 53:

βουλὴ δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

cf. v. 55. coll. X, 302. 195. XII, 213.*)

*) Etsi vocabulum *γερουσία* apud Homerum non exstat, tamen e dictionibus *γερούσιον ὅρκον* Il. XXII, 119, *γέροντες βουλευταὶ* Il. VI, 113 coniicere licet. cf. C. O. M. Dor. III, p. 92. Interdum *γερόντων βουλὴ* etiam *θῶκος* vel *θόωκος* cf. Od. II, 26 appellatur:

οὔτε ποθ᾽ ἡμετέρη ἀγορὴ γένετ᾽ οὔτε θόωκος.

Nam *θῶκος* praecipue est consessus principum, *ἀγορὰ* vero populi conventus. cf. Od. XV, 468. II, 14.

Primum de illo disputaturis quaestio nobis sese offert, quinam *γέροντες* illi fuerint? Haud dubie nobiles erant, qui non solum aetate, sed et generis claritate cf. Od. IV, 611: *αἵματος εἷς ἀγαθοῖο*, magnis copiis ac divitiis, cf. Arist. Pol. IV, 6, 5: *ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή.* V, 1, 3; *εὐγενεῖς γὰρ εἶναι δοκοῦσιν οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος.* cf. Diog. Laert. I, p. 247. et V. Ill. Fr. Th. Welckerum ad Theogn. prolegg. p. LIX, fortitudine, armorum tractandorum peritia omnium rerum usu et prudentia eminebant.

Propter has virtutes nobiles, a plebe fere ubique distincti, honorifice appellantur a poeta ita: *ἥρωες, ἀρίστηες, ἔξοχοι ἄνδρες*, cf. Il. II, 188 coll. 198. 404, III, 250, 274, IX, 3. X, 214. Od. I, 245, 272. II, 51. IV, 268, VI, 34, XI, 227 et al. pass., quae quidem vocabula etiam de aliis virtute, fortitudine aut quacunque alia re excellentibus usurpantur. Cf. praeter Od. VIII, 483, XVIII. 424 locum luculentum Il. XI, 328:

Ἔνθ᾽ ἑλέτην δίφρον τε καὶ ἀνέρε δήμου ἀρίστω,

in quo versu vox *ἀρίστω* non viros nobiles indicat, sed aliquo modo praestantes.

Ab initio autem *γέροντες* modo ii dicebantur, qui

aetate superiores, gentium ac familiarum nobilium capita erant. cf. Nitzsch. Od. I, p. 68.

Seniores modo Troiani *δημογέροντες* nominantur, cf. Il. III, 149:

εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν

et Il. XI. 372:

Ἴλου Δαρδανίδαο, παλαιοῦ δημογέροντος

rex ipse iis adnumeratur.

Magna autem hac in re laus tribuenda est antiquitatis humanitati. Senes enim ob *πολυπειρίαν* merito prudentiores et circumspectiores iuvenibus habebantur neque quisnam venerabilior bono honestoque sene existimabatur.

Senum munera partim in civitate administranda, partim in iure dicendo continebantur. Auctoritate regibus erant proximi, ita ut iis inconsultis atque invitis fieri soleret nulla res gravior. Cf. Il. X, 414 sqq.:

Ἕκτωρ μὲν μετὰ τοῖσιν, ὅσοι βουληφόροι εἰσίν,
βουλὰς βουλεύει θείου παρὰ σήματι Ἴλου sqq.

cf. Il. IV, 574. Od. XXI, 21. Sic eundem, quum Graecorum naves igni concremare vellet, ab hoc incepto cohibent senes, quare de iis Il. XV, 721 sqq. conqueritur:

(Graeci) *ἡμῖν πήματα πολλὰ θέσαν, κακότητι γερόντων.*
οἵ μ' ἐθέλοντα μάχεσθαι ἐπὶ πρύμνῃσι νέεσσιν,
αὐτόν τ' ἰσχανάασκον, ἐρητύοντό τε λαόν.

Deliberant cum rege (cf. Il. II, 53, 84, 95. Od. II, 26, III, 128, XV, 468 et alibi) eumque sublevant consiliis.

Legationes, quae quidem essent illustriores, aut administrabantur aut curabantur aut denique ab ipsis audiebantur, si quae adessent peregrinae. Cf. Il. IX. 421 sqq.

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ἰόντες, ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν
ἀγγελίην ἀπόφασθε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων.

cf. Od. XXI, 21; debita, bello finito, ab hoste exacta dividebant cuique e populo pro rata parte, cf. Il. XI, 687:

οἱ δὲ συναγρόμενοι Πυλίων ἡγήτορες ἄνδρες
δαίτρευον.
v. 705: — *τὰ δ' ἄλλ' ἐς δῆμον ἔδωκεν.*
δαιτρεύειν —;

foedera, pacta auctoritate, fide et iureiurando firmabant. cf. Il. XXII, 119, ubi Hector secum cogitans de foedere cum Graecis ineundo a senibus iusiurandum (*γερούσιον ὅρκον*) exigere in animo habet, ne pactioni iusta fides desit:

Τρωσὶν δ᾽αὖ μετόπισθε γερούσιον ὅρκον ἕλωμαι.

Denique gravissimum eorum munus ius dicendi superest, quo, ut iam vidimus, una cum regibus fungebantur. In rebus minoris momenti rex aut unus de senibus arbitri partes suscepit, quod patet ex Od. XII, 439 sqq.:

— ἦμος δ᾽ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,
κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.

De summis autem rebus per decretum totius senum conventus diiudicabatur. Qui ad hanc rem enucleandam vel maxime valet locus in Iliade legitur, ubi poeta in describendo Achillis clipeo etiam forensem quandam actionem elegantissime exponit, Il. XVIII, 497. cf. Hesiod. Op. et D. v. 38; 261.

Plerumque principes in ipsorum conventu populique concione sedebant. Saepe quidem poeta, principes consedisse, non autem surrexisse dicit, cf. Il. I, 76, VII, 347, 354, quod diserte commemorare poetae fortasse opus visum non est. Ex his autem locis sunt eximendi, in quibus vehementia quaedam altercationis animique motus, e. c. Il. I, 68, aut animus demissus vel pavor cernitur, cf. Il. XVIII, 246:

ὀρθῶν δ᾽ἑσταότων ἀγορὴ γένετ᾽, οὐδέ τις ἔτλη
ἕζεσθαι πάντας γὰρ ἔχε τρόμος. —

Sedebant autem (*ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ*) in sellis lapideis (cf. Od. VIII, 6) ubi iudices (*γέροντες*) de duobis viris rixantibus iudicium exercent, tenentes manibus sceptrum.

Multitudinis pars huius pars illius rebus studet favetque: cf. v. 502:

λαοὶ δ᾽ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον, ἀμφὶς ἀρωγοί.

Praecones autem populum retinent, deinde iudices deinceps surgunt e sellis dicuntque ordine sententiam. In media duo iacent talenta eius praemia, qui rectissime de hac re iudicaverit. cf. v. 508: —

ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.

Item dissensione inter principes ipsos orta fieri solebat, ut causam in concione proponerent et suae quisque parti, quam plurimos posset, conciliaret, quorum auxilio adversarios aut vinceret aut deterreret. cf. Od. III, 137. 149, 150. XVI, 376, XXIV, 464 sqq.

De senum (*γερόντων*) numero partim certa partim dubia fit mentio. Il. II, 404—8 Agamemnon hos septem convocat:

Νέστορα μὲν πρώτιστα καὶ Ἰδομενῆα ἄνακτα,
αὐτὰρ ἔπειτ᾽ Αἴαντε δύω καὶ Τυδέος υἱόν,

ἕκτον δ᾽ αὖτ᾽ Ὀδυσῆα Διῒ μῆτιν ἀτάλαντον.
αὐτόματος δὲ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος,

re vera autem, si Achillem ab exercitu absentem et Agamemnonem ipsum addis, sunt novem, qui omnes, aliquoties etiam Agamemnonis βουληφοροὶ ἄνδρες nominati, ad eius belli socios pertinent. Qua de causa belli modo tempore γέροντες, non in pace erant.

Utrum Agamemnon praeter hos alios in regno suo habuerit, apud Homerum non legitur. Apud Troianos eodem modo septem invenies, cf. Il. III, 146 sqq.

οἱ δ᾽ ἀμφὶ Πρίαμον καὶ Πάνθοον ἠδὲ Θυμοίτην,
Λάμπον τε, Κλυτίον θ᾽, Ἱκετάονά τ᾽, ὄζον Ἄρηος
Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ, πεπνυμένω ἄμφω,
εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν,

qui quidem cum Priamo non foedere coniuncti aut belli socii, sed pacis bellique tempore consilii auctores ei erant. Praeter hos multos alios regulos subditos in armorum societatem Priamus assumpserat, e. c. Sarpedonem, regem Lyciae aliosque (cf. V. Ill. A. G. a Schlegel commentatio de geograph. Homer. Hannov. 1788. p. 97. sqq.), qui quidem in γερουσίαν excepti pro certo tantum tempore γερόντες erant eoque nomine appellabantur. Aetatis ratio belli tempore habita fuisse non videtur, quum etiam principes iuvenili aetate, ut Diomedes, ambo Aiaces aliique γέροντες dicantur.

In civitate Ithacensi, dum Ulysses abfuit, γέροντες memorantur (Od. II, 14, XXI, 21, qui Ulyssi proximi, attamen auctoritate, honore atque imperio inferiores regnabant. Sunt illi fortasse inter Penelopae procos numerandi. cf. de Ulyssis regno V. Ill. A. G. a Schlegel l. l. p. 51.

Iidem apud Aetolos (Il. IX, 574) nobis occurrunt, de quorum numero prorsus nihil constat.

Plurimos autem in Phaecum civitate videmus, de qubius rex ipse Od. VIII, 390, 91 dicit:

δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες
ἀρχοὶ κραίνουσι τρισκαιδέκατος δ᾽ ἐγὼ αὐτός.

Hi magnam prae se ferunt auctoritatem ac splendorem, nominantur enim etiam ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες Od. VII, 136, 186. VIII, 11, 26, 97, 387, βουληφόροι Od. XIII, 12 et κλειτοὶ βασιλῆες; possident γεράς δ᾽, ὅτι δῆμος ἔδωκεν et eodem fere honore fruuntur, quo rex ipse, cuius perpentui sunt comites quemque ad concilium vocant. Rex inter eos tanquam praeses vel summus inter pares esse videtur. cf. Od. VII, 10 sqq.

Ἀλκινόῳ δ᾽ αὐτὴν γέρας ἔξελον, οὕνεκα πᾶσι
Φαιήκεσσιν ἄνασσε, θεοῦ δ᾽ ὣς δῆμος ἄκουεν.

Non sine veri specie ex γερόντων potentia, qua Alcinoo haud quaquam cedebant, coniici potest, inter eos ipsos regnum partitum fuisse atque ita quidem, ut non per vices, quae est nonnullorum VV. DD. sententia imperarent, sed semper participes essent regni, ut dicit Eust. p. 1198, 29: κατὰ μέρος ἄρχοντες. Libenter igitur V. Ill. F. Th. Welckeri sententiam sequar, Phaeacum atque Ithacensium civitates ad veterum Ionum vel Atticorum formam speciemque expressas esse atque adumbratas. cf. Mus. Rhen. I, p. 259 sqq. Plures enim reges ante Theseum fuere in Attica et Eleusine cf. hym. Hom. in Cerer. v. 473 sqq. C. O. Müll. Orchom. p. 167. Etiam apud Etruscos duodecim regulis unus praeerat rex supremus. cf. Niebuhr's Röm. Geschichte I. p. 129. V. Ill. Hüllmann Urgeschichte des Staats p. 48.

Denique hoc moneo, quum maior principum numerus in Alcinoi atque Ulyssis aut in omnibus quae in Odyssea descriptae sunt civitatibus inveniatur, contra in Iliade praeter regem aut prorsus nulli principes subditi aut perpauci modo minimae potestatis atque auctoritatis, Odsseae civitatum formam rectius paene aristocraticam, quam regiam, quae maxime in altero carmine perspicitur, dici posse.

De populo.

Tertiam numero quidem maximam, in rebus autem publicis administrandis infirmissimam civitatis heroicae partem populus (δῆμος) efficit, qui quum poeta utroque in carmine rarissime mentionem de eo iniecerit, levibus indiciis cognoscitur. Sic distinguuntur a poeta βουλὴ γερόντων et δῆμος Il. XII, 213 sqq:

— — — ἐπεὶ οὐδὲ μὲν οὐδὲ ἔοικεν
δῆμον ἐόντα παρὲξ ἀγορευέμεν οὔτ' ἐνὶ βουλῇ

et βασιλεὺς et δῆμος Il. XI, 701 sqq:

— τοὺς δ' αὖθι ἄναξ ἀνδρῶν Αὐγείας
κάσχεθε, — — — — —
ἐξέλετ' ἄσπετα πολλά· τὰ δ' ἄλλ' ἐς δῆμον ἔδωκεν,

et al. pass.

Populus pauca tantum atque exigua in civitate regenda habebat iura, si regis principumque potestatem maximam comparaveris. Nonnunquam quidem in concionem (ἀγορὰν) convocabatur cf. Il. I, 54. II, 87 sqq. 788; VII, 345. Od. II, 6. III, 127, 137. VIII, 5 sqq. XXIV, 420 sqq., verum non ut rogarentur sententiam latisque suffragiis rem sciscerent aut antiqua-

rent, sed ut audirent, quae reges cum principibus aut iam ante in concilio decrevissent, cf. Arist. Eth. III, 5. p. 41: *οἱ γὰρ βασιλεῖς, ἃ προέλοιντο, ἀνήγγελλον τῷ δήμῳ* et Schol. ad Il. IX, 17: *ὅτι ὁ μὲν δῆμος μόνον τοῦ ἀκοῦσαι κύριος, οἱ δὲ ἡγεμόνες καὶ τοῦ πρᾶξαι.* Cf. Nitzsch II, p. 169. Platner. l. l. p. 108.

Quod ordinem attinet, quo in conciliis principum populique res agerentur, in universum hic fuisse videtur. Rex plerumque conciones populi convocari iubebat, cf. Od. II, 26 sqq., aut principum aliquis, cf. Il. I, 54, aut quisque alius, si quid subiti ac maioris momenti accidisset. cf. Od. II, 29—32.

Tum orationes habebantur a rege aut principibus, quorum permulti a dicendi facultate cognomina traxerunt, e. c. Nestor appellatur *ἡδυεπής, λιγὺς ἀγορητής*, cf. Il. I, 248 et Peleus, Myrmidonum insignis orator aliique. cf. Il. VII, 354 sqq. Il. II, 150 coll. Od. VIII, 26 sqq.

Ex his duobus locis modo laudatis simul manifeste apparet, quam parvi populus a rege vel principibus sit aestimatus, et quamvis Il. IX, 17 omnes Achaei aperte praesentes sint (cf. v. 11, 30, 50 maximeque v. 60), ne alloquutus quidem eos rex est. Recte igitur Nitzschius II, p. 169: ceteri (populus) conveniunt in concionem spectatores. cf. Aristot. l. l.

Schoemann l. l. p. 169. not. Itaque oratoris erat, rem in seniorum conventu prius tractatam ac bene perpensam populo commendare, aut si *βουλὴ γερόντων* non antecesserat, primum principes in suas ducere partes sibique vindicare, tum populum alloqui. Re vera igitur orator non ad populum ipsum, sed coram populo tantum concionatus est. Quae qualisque haec eloquentia Homeri tempore fuerit, satis superque eius carmina maximam partem orationes continentia probant.

Neque tamen prorsus nihili erat in concilio populus, ut nonnullis visum est. Id vero nemini e populo licebat, sententiam proferre aut suffragari, sed cuncti, quod a rege principibusque consultum erat atque decretum aut probabant aut adversa acclamatione increpabant. cf. Il. II, 334, 394. Od. III, 150.

De hac quaestione vario modo tractata, hanc sententiam propono ut verisimillimam. Quae in Iliade describuntur civitates, regem habebant aut nullis aut perpaucis legibus adstrictum, atque in his cuique verba facere in concione nullo modo licuit. Nam tanta fuit sine dubio regum principumque in castris Troianis potestas, ut singuli de plebe homines haud facile contra regem dicere ausi sint. De Thersite, quem qui aliter sentiunt, tanquam exemplum iactant, iam supra monuimus. Si quid vero in hac re populo concedendum

est, id potius in Ithacensium Phaeacumque civitatem cadere censeo, quippe quae aliter fuerit constituta et mutata iam rerum publicarum forma ad seriorum temporum rationem propius accedat. Huius rei argumentum gravissimum in fine Odysseae invenies, ubi Ulysses, procis interfectis, foedus, a Minerva sancitum, cum populo iniit, ut in pristinam dignitatem redeat. cf. XXIV, 546 sqq:

ὅρκια δ' αὖ κατόπισθε μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκεν
Παλλὰς Ἀθηναίη. —

Loca, in quibus concilia habebantur, non semper et ubique eadem, apud Phaeaces forum ad naves situm est, cf. Od. VIII, 5:

Φαιήκων ἀγορήνδ', ἥ σφιν παρὰ νηυσὶ τέτυκτο.

VI, 266, apud Graecos plerumque ad Agamemnonis naves, Il. VII, 382 sqq:

τοὺς δ' εὗρ' εἰν ἀγορῇ Δαναοὺς, θεράποντας Ἄρηος
νηῒ παρὰ πρύμνῃ Ἀγαμέμνονος, —

et apud Troianos summa in Priami arce cf. Il. II, 788:

οἱ δ' ἀγορὰς ἀγόρευον ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσιν,

VII, 345 sqq.

Tantum.

V I T A.

Ego *Philippus Humpert* natus sum Mendenae, Guestphaliae oppido, anno MDCCCXIV, patre *Fr. C. Humpert*, quem acerbissima ante duos annos mors mihi abstulit et matre *Elisabetha* e gente *Düllmann*, quam Dei gratia inter vivos adhuc veneror. Primis, quibus aetas puerilis informari solet, elementis in patria urbe imbutus Gymnasium Arnsbergense adii, in quo Baaden, directoris dignissimi, auspiciis per annos quinque egregiis praeceptoribus inter quos Dr. *Brüggemann*, *Fisch* et *Pieler* memorare iuvat, usus sum. Dein gymnasium *Richlinghusianum* frequentavi, quod Directore Dr. *Stieve*, viro litterarum copia praestantissimo floret. Inter praeceptores unus mihi exstitit, *C. Poggel*, vir ingenio et rara morum integritate insignis, nimis matura morte litteris ereptus, cuius memoriam saepius iusto redintegrare nequeo.

Annum et dimidium ibi versatus maturitatisque testimonium adeptus in almam hanc Fridericiam Guilelmiam Rhenanam litterarum Universitatem me contuli, ubi relatus sum in numerum civium academicorum a Rectore Manifico *A. F. Näkio*. Ab illo inde tempore hos viros praeclarissimos audivi: *van Calker*,

Clausen, Dellbrueck, Fichte, Heinrich, Hüllmann, Loebel, Lassen, Naeke, Ritter, A. G. a Schlegel, Welcker, Windischmann.

Seminarii philologici sodalis ordinarius fui, in quo praeceptores optimos V. Ill. *Heinrichium* et V. Ill. *Naekium*, quos acerba morte nobis ereptos esse nonnisi summo doloris sensu recordor, et V. Ill. *Welckerum* habui. Quantam denique huius Viri et doctrina nobilissimi et humanitate amabilissimi benevolentiam expertus sim, nulla unquam oblivio delebit.

Quibus omnibus VV. Ill. DD. pro summis in me meritis, ex intimo animi affectu gratias habeo ac per omnem habebo vitam maximas.

Theses controversae,

quas

una cum dissertatione

de civitate Homerica

consensu atque auctoritate Illustris philosophorum in universitate Fridericia Guilelmia Ordinis

ad summos in philosophia honores rite capessendos

die IX. Mart. MDCCCXXXIX.

hora X antemeridiana

publice defendet

PHILIPPUS HUMPERT.

Solemne oppugnantium munus susceperunt
H. C. Scholten, Phil. Dd.
Joh. Bender, Sem. phil. Reg. sod. ord.

Bonnae,

Impressit Franciscus Baaden.

Theses.

1. *Ilias et Odyssea diversam effingunt Ulyssis indolem.*
2. *Populus apud Homerum magnam habet potestatem in civitate regenda.*
3. *Narrationi Herodoti de ratione, qua Darius regnum adeptus sit, fides habenda non est.*
4. *Proprias Germanorum litteras, quas Runas vocant, Tacito notas fuisse, certe probari non potest e Tacit. l. Germ. c. 3.*
5. *Hermesianax Colophonius non scripsit Persica.*
6. *Perperam statuunt, qui Graecis ius gentium fuisse negant.*
7. *Fragm. apud. Athenaeum II, 19:*

   Εὔβουλος εὑρετικούς φησι τὸ ὕδωρ ποιεῖν τοὺς πίνοντας αὐτὸ μόνον
   τὸν δ᾽οἶνον ἡμῶν τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν

   non Philetae, sed Philemonis est.
8. *Historia antiqua a philosophiae historia separari nequit.*
9. *Iam ante Roscium Gallum Romani personarum usum habebant.*
10. *Sycophantas a lege, qua vetabatur, ne fici exportarentur, nomen traxisse, in dubium vocari nequit.*
11. *Versus ap. Diodor. XI, 62 sunt intelligendi de duplici victoria in Cypro insula.*
12. *Plurima quae sub Cl. Claudiani nomine feruntur, epigrammata, supposititia sunt.*
14. *Historia artium vere dicitur ingenii humani historia.*
